



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola XXXIX. Gregorii Papae I. Ad Hortonenses. De obitu episcopi  
eorum, & visitatione ecclesiae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

nos sine correptione relinquere ecclesiastica non sinit aliquo modo disciplina: nec vos pro talibus decet petere, ne non rectitudini sed indiscretioni, quod absit, videamini consentire. Causa vero eiusdem Maximi, pro quo nobis scribitis, quem, si Missarum solennia celebrare presumperit, iam sacri corporis communione priuauimus; matura quando oportuerit deliberatione, sicut Deo nostro placuerit, iudicabitur atque disponetur. Oramus autem omnipotentem Dominum, ut & hic vos sua protectione custodiat, & ad aternæ vitæ præmia perducat.

*Mense Augusto, indictione duodecima.*

EPISTOLA XXXIX.

GREGORII PAPÆ I.

AD HORTONENSES.

De obitu episcopi eorum, & visitatione ecclesiarum.

*Gregorius clero, ordini & plebi consitenti Hortonæ.*

**V**ESTRI antistitis obitum cognoscentes, curæ nobis fuit destitutæ ecclesiæ visitationem fratri & coepiscopo nostro Barbaro solenniter delegare. Cui dedimus in mandatis, ut nihil de reditu, ornatu, ministeriisque a quocquam usurpari patiatur; cuius vos assiduis adhortationibus conuenit obedire. Hoc tamen scitote, quia ei ordinandi presbyteros ac diaconos, si necesse fuerit, quos dignos ad hoc officium inuenire potuerit, dedimus licentiam; quatenus in ecclesiastico obsequio sacerdos, qui & venerandis Canonibus vlla non discrepet ratione, & tanto ministerio dignus valeat reperiri, communiter eligatur. Qui dum fuerit postulatus, cum solennitate decreti omnium subscriptionibus roborati & visitatoris pagina prosequente, ad nos veniat ordinandus; prouisuri ante omnia, ne cuiuslibet vitæ vel meriti laicam personam præsumatis eligere. Et non solum ille ad episcopatus apicem nulla ratione prouehatur, verum etiam vos nullis intercessionibus veniam promereris posse cognoscite. Sed omnes quos ex vobis de laica persona aspirasse constiterit, ab officio & a communione alienos faciendo procul dubio noueritis.